In causa Universitatis, & hominum Terrae Guardiae Lombardorum cum Ill. Principe Scyllae, utili Possessore, ut ex actis.

Die 11 *Mensis Augusti* 1804 *Neapoli &c.*

FActo Verbo: Visis omnibus actis in pluribus voluminibus, comparitionibus *fol.* 51, & 56 *Proc. Univ.*, *& homin. Guardiae Lombardorum*, decreto qu. Ill. Principis D. Dominici Zurlo Regii Consiliarii diei 18 mensis Augusti 1796 *fol.* 71 *dict. Proc.* comparitionibus *fol.* 6, 9, 20, & 27 *Proc. curr.*, instantiis Domini Fisci Patroni, ipsoque, & partibus auditis. Per Ill. Dominum Militem U. J. Doct. D. Petrum Jannucci Reg. Cam. Summ. Praesidentem, & Commiss., factaque per eundem de contentis omnibus relatione in secunda Aula dictæ Reg. Cam., cum interventu Ill. Marchionis Domini D. Nicolai Viventio, spectabilis Locumtenentis dictae Reg. Cam., coram aliisque Dominis Praesidentibus ejusdem, ac audito Reg. Fisco, fuit per Cameram ipsam consensu provisum, & decretum, prout praesenti decreto decerni-

nitur & providetur; quod respectu primi capitis pro exactione duodecimae partis segetum, quae recolliguntur in territoriis Civium, & exterorum bonatenentium praetensa ab Ill. Principe Scyllae possessore in toto territorio Feudi Guardiae Lombardorum, Regia Camera declarat, non competere praedicto Ill. Principi jus exigendi terragium; sive duodecimam in toto territorio praedicto; ac proinde Universitas, & Cives absolvantur a petitis pro exactione prædicta: verum Ill. Possessorem esse manutenendum in possessione exigendi terragia, & duodecimam; sive census tantum in territoriis descriptis in instrumento emptionis anni 1607 *fol.* 123, & in appretiis annorum 1624, 1625, & 1692 *fol.* 169 *Act. Univ., & homin. Guardiae Lombardorum fol.*82, & 110 *Proc. cur.*, liquidandis, partibus auditis, per unum ex Regiis Ingegneriis Cameralibus partibus ipsis non suspectum, per Regiam Cameram eligendum.

Respectu secundi capitis prohibitionis clausurarum territoriorum, vulgo *appadronati*, & plantationis vinearum, eadem Regia Camera declarat, non competere prædicto Ill. Possessori jus prohibendi prædictas clausuras, & plantationes vinearum; ac proinde possessores eorundem territoriorum utantur eorum jure pro illorum clausura, & plantationibus, juxta tamen morem regionis, & sal-

ſalvo quocumque jure aliorum Civium, & Univerſitatis, exceptis tamen territoriis deſcriptis tam in inſtrumento emptionis praedictae, quam in praecitatis appretiis.

Reſpectu tertii capitis pro jure prohibendi molendina, Regia Camera etiam declarat, quod prædictus Ill. Poſſeſſor se abſtineat a praetenſo jure prohibendi molendina; ac proinde Univerſitas, & Cives utantur eorum jure pro conſtructione molendinorum etiam mercimonii cauſa in demaniis ejuſdem Univerſitatis, & in territoriis propriis Civium.

Reſpectu quarti capitis pro exactione annuorum ducatorum viginti pro tranſportatione molarum pro exercitio molendinorum, Univerſitas abſolvatur a petitis.

Reſpectu quinti capitis pro Jure fidandi in toto territorio, & prohibitione recolligendi ſpicas in territoriis particularium Civium, Regia Camera pariter declarat, non competere praedicto Ill. Poſſeſſori jus fidandi in toto territorio; ac proinde se abſtineat a jure fidandi tam in demanialibus Univerſitatis, quam in territoriis particularium Civium, vulgo appadronati; verum in demanialibus Feudi Ill. Poſſeſſor utatur jure ſuo, deducto uſu civico, etiam commercii cauſa inter Cives, qui etiam utantur eorum jure pro recollectione ſpicarum juxta Regales ordines. Re-

Respectu sexti capitis pro exactione annuorum ducatorum centum sub titulo transactionis fidae, Universitas absolvatur a petitis pro parte Ill. Possessoris, qui tamen utatur jure suo pro exactione fidae pro animalibus particularium Civium, pascua sumentium in defensis praedicti Ill. Possessoris.

Respectu septimi capitis pro exactione annuorum ducatorum septuaginta pro observantia Capitulationum Universitas etiam absolvatur a petitis pro parte Ill. Possessoris.

Respectu octavi capitis pro jure prohibendi tabernas, Regia Camera pariter declarat, quod Ill. Possessor se abstineat a prædicto jure prohibendi; ac proinde Universitas, & Cives utantur eorum jure pro constructione tabernarum, etiam mercimonii causa in demaniis ejusdem Universitatis, & in territoriis propriis Civium.

Respectu noni capitis pro exactione annuorum ducatorum quincentum viginti duorum, & alium quadraginta, Ill. Possessor utatur jure suo pro exactione functionum fiscalium, juxta libros Regalis Patrimonii, & pro aliis quantitatibus Universitas absolvatur a petitis.

Respectu decimi capitis pro usurpatione territoriorum demanialium committatur Regio Ingegnerio eligendo a Regia Camera, qui accedat super faciem loci, & recognoscat, partibus ipsis requisitis, de-

deductas usurpationes, conficiat plantam, & referat ad finem providendi. Nihil in expensis.

Petrus Jannucci.
Joannes Gigli Act.

Die 11 *mensis Augusti* 1804 *Neap. &c.*

Respectu primi, & secundi capitis gravaminum ab Universitate Guardiae Lombardae in Regia Camera deductorum in praecitatis comparitionibus, pro exactione juris Plateae, & Bajulationis in biduo audiantur Partes; & interim Ill. Possessor manuteneatur in possessione dicti juris Plateae, servata forma soliti pro nunc, & citra praejudicium jurium partium, & respectu juris bajulationis, utatur jure suo, servata tamen forma Reg. Pragm. sub tit. de offic. Bajul.

Pro solutione tam annuorum ducatorum decem, & octo sub nomine vulgo *Testimonio della Baglivа*, quam aliorum ducatorum decem, & octo pro salario Servientis Curiae deducta in tertio, & quarto capite, Universitas non molestetur: verum teneatur solvere praedicto Servienti justam mercedem pro negotiis ejus interesse respicientibus.

Quoad exactionem carulenorum triginta trium pro poena *del sangue* contentam in quinto capite

Ill.

Ill. Possessor se abstineat, & Regia Provincialis Audientia det ordines Curiae loci pro observantia Regiarum Pragmaticarum, & Realium ordinum; & in casu inobservantiae informationem capiat, & acta ad Regiam Cameram transmittat.

Respectu praestationis, vulgo *fiato de' porci* contentae in sexto capite Ill. Possessor se abstineat, & pro restitutione, ac liquidatione indebite exactarum in biduo audiantur Partes.

Pro contentis in septimo capite respiciente censuationem, committatur eidem Regio Ingegnerio per Regiam Cameram eligendo, qui Partibus auditis, recognoscat deducta in dicto capite, & relationem faciat; & interim nihil innovetur circa novas censuationes sub poena invaliditatis actus, & ducatorum mille Regio Fisco.

Et demum pro deductis in octavo capite dentur ordines juxta instantiam Regii Fisci.

Petrus Jannucci.
Joannes Gigli Act.

Questa sentenza fu confermata in grado di nullità prodotta dal Principe di Stilla.